FLORA.

№ 37.

Regensburg. Ausgegeben den 9. December. **1865.**

Mit Halbbogen 13 des Repertoriums für 1864.

Inhalt. W. Nylander: De terminis lichenologicis perithecio et epithecio. — Ders.: Adhuc circa Amylobacteria adnotatio. — Hampe: Musci novi in Peruvia merid. or. provincia Carabaya lecti ab Dr. Hasskarl. — Die neuesten lichenologischen Arbeiten des Hrn. Prof. Garovaglio zu Pavia (Schl.). — Gelehrte Anstalten und Vereine: Schlesische Gesellsch. für vaterl. Cultur. — Botanische Notizen. — Verzeichniss der im J. 1865 für die Sammlungen der kgl. bot. Gesellschaft eingegangenen Beiträge. — Anzeige.

De terminis lichenologicis perithecio et epithecio.

Scripsit W. Nylander.

Terminis in scientia adhibitis semper sensus primo datus simili jure retinendus est ac nominibus specierum vel generum. Neque leviter vel arbitrarie mutanda sunt nomina vel termini, sed niti debent studia quaevis bona, ut definitiones omnes et determinationes certiores clariores magisque fixas efficiant.

Perithecium exprimit apud Acharium conceptaculum quodcunque apothecii, aut pyrenocarpei aut discocarpei; confluit cum hypothecio, quod vocabulum sensu strictiore designat partem inferam conceptaculi vel perithecii.

Distinxit porro Acharius perithecium exterius (vel conceptaculi partem externam vulgo discolorem et firmiorem) atque perithecium interius (vel partem conceptaculi internam, hymenio proximam, teneriorem, incolorem, quam dixi hypothecium subhymeniale). Hic forsan haud male praeferre fas sit terminos exoperithecium et endoperithecium, quae vocabula mox intelliguntur nec ulla quidem explicatione ampliore opus habent. Exoperithecium vel perithecium „exterius" Acharius dixit dimidiatum, superum vel laterale, prout endoperithecium varie ex parte amplectitur. Nondum tamen perspicere

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr05980-0579-4

potuit Acharius nec omnibus applicare apotheciis, ut debuit, terminum perithecium, tempore quo anatomia Lichenum adhuc in incunabilis versabatur; sed mirum sane est hodie confusiones summas hoc respectu persistentes animadvertere, indeque patet, quomodo notiones anatomicae falsae ex analyseos methodo manca atque ex inexperientia facile emanant. Tales aberrationes studiis serioribus et solidioribus evitabuntur.

Quod ad terminum epithecium adtinet, inde e primis meis scriptis lichenologicis notavi, id in apothecio quovis plus minusve explicato (vel epithecium discocarpeum) omnino anatomice et physiologice congruere cum epithecio punctiformi apothecii cujusvis pyrenodei (hoc est cum epithecio pyrenocarpeo). Nulla alia est differentia essentialis vel vera quam ea, ut in pyrenocarpeis epithecium reductum inveniatur et marginibus perithecii persistenter arcte conniventibus constrictum, inde semper ibi junctiforme (vel punctiformis minutiei), obturaculum quasi formans, gelatina hymenea elementisque anatomicis vulgo bacillaribus teneris (filamentis ostiolaribus) varie evolutis compositum et infra cum Thalamio contiguum. Sic apothecium pyrenocarpeum aeque gymnohymeneum est ac apothecium discocarpeum, modo omnino contractum et ob rem saepe quasi incrassatum; maxima differentia pendet a forma diversa conceptaculi. Epithecium impressum apud pyrenocarpeos idem sistit ac apothecium marginatum apud discocarpeos. Termini „gymnocarpi" et „angiocarpi" nullum sensum clarum continent. Inter Lichenes discocarpeos *Graphidei* ex. gr. frequentissime ostendunt epithecium aut angustatum (compressum) aut explanatum in eodem genere aut quidem aliquando in una eademque specie. Sensu generali epithecium definiendum esse crederem superficiem vel partem denudatum superam hymenii jam discoidei jam nucleiformis; nullum organum proprie sic dictum, sed potius situm indicat vel finem superne hymenium limitantem; cum termine epithallo omnem analogiam habet [1]).

Male sane clarissimum Garovaglio termino epithecio

1) Audaciae solitae Friesianae specimen praebetur in famoso libello Genmaele p. 45, ubi superbe contenditur, me naturam epithecii apud typos binos fructificationis Lichenum haud dignoscere valere! E os, qui erroribus sunt dediti nulla castigatio acrior adtingere potest quam si errores suos conservant et in falsis computationibus obstinate permanent, licet progressus scientiae errantibus oculos aperire debuit. Animadversionibus criticis et corrigentibus semper longe minus spectavi auctores errorum, quam alios a periculis fidei fallacis avertere volui.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr05980-0580-5

sensum dare nuper vidi eundem ac Acharius aliique olim exprimere voluerunt termino peritheçio. Jam Flotow vocabulum epithecium adhibuit sensu, quem accepi. Obiter simul notare liceat, spermatia, quae videre crediderunt clarissimi Garovaglio et Gibelli in supera parte cavitatis apotheciorum apud *Verrucarias*, nulla talia sistere vera. Filamenta ostiolaria saepissime apice fragmenta tenella compressione secernere conspiciuntur, hocce autem longe distat ab elementis spermogonicis (cf. Nyl. in Flora 1864, p. 354 et ibidem p. 358 exemplum allatum paraphysum et filamentorum ostiolarium optime consociatorum in eodem perithecio, quod incredibile habere videtur Dominus Gibelli). Jam Massalongo „erismata" et „tromodoblastia" singularia memoravit iisque Dominum Koerber penitus perturbavit (cf. Nyl. in Flora 1860, p. 43, et 1861, p. 133, 134). Magis fere singularia fecundationis elementa detexit cl. H. Karsten (cf. Nyl. in Ann. Sc. natur. 4, XVI, p. 83—87) atque deinde etiam maxime singularia protulit D. Lindemann (Bullet. Soc. natur. Mosc. 1864).

Adhuc circa Amylobacteria adnotatio. Scripsit W. Nylander.

Postquam observationes anteriores circa *Amylobacteria* Tréc. Florae miseram in *Ficu carica* notavi, praesertim sub cortice soluto ramulorum (maceratione 4—5 dierum subjectorum) libera *Amylobacteria fusiformia* copia maxima obvenientia et motu proprio nonnihil undulante conspicuo alacriter circumnatantia, omnino sicut *Bacteria* ibidem consociata. Illa corpuscula fusiformia (longitudinis circiter 0,007—9 millim., crassitici circiter 0,002 millim.) vix nisi simplicia occurrunt, nec, sicut ex. gr. in corpusculis Spartii vidi, 2 vel 3 apicibus seriatim conjunguntur. Dixit ea *Clostridia* cl. Trécul. Non omnia simul, sed certa solum corpuscula certoque momento circumagi incipiunt [1]). Idem apud Bacteria occurrit. In cellulis medullaribus frequentissime atque in fibris simul eorumdem ramulorum obvia sunt *Amylobacteria capitata*, cauda tenui praedita (*Urocephala* Tréc.); nullum autem motum proprium eo saltem statu ostendunt.

1) Quoque fibras totas Vibrionibus minutis agilissimis omnino repletas vidi in iisdem ramulis *Ficus Caricae*. Simili modo originem ducunt verisimiliter ut Bacteria vel Amylobacteria in materiis putrescentibus cellularum.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr05980-0581-1

sensum dare nuper vidi eundem ac Acharius aliique olim exprimere voluerunt termino peritheçio. Jam Flotow vocabulum epithecium adhibuit sensu, quem accepi. Obiter simul notare liceat, spermatia, quae videre crediderunt clarissimi Garovaglio et Gibelli in supera parte cavitatis apotheciorum apud *Verrucarias*, nulla talia sistere vera. Filamenta ostiolaria saepissime apice fragmenta tenella compressione secernere conspiciuntur, hocce autem longe distat ab elementis spermogonicis (cf. Nyl. in Flora 1864, p. 354 et ibidem p. 358 exemplum allatum paraphysum et filamentorum ostiolarium optime consociatorum in eodem perithecio, quod incredibile habere videtur Dominus Gibelli). Jam Massalongo „erismata" et „tromodoblastia" singularia memoravit iisque Dominum Koerber penitus perturbavit (cf. Nyl. in Flora 1860, p. 43, et 1861, p. 133, 134). Magis fere singularia fecundationis elementa detexit cl. H. Karsten (cf. Nyl. in Ann. Sc. natur. 4, XVI, p. 83—87) atque deinde etiam maxime singularia protulit D. Lindemann (Bullet. Soc. natur. Mosc. 1864).

Adhuc circa Amylobacteria adnotatio. Scripsit W. Nylander.

Postquam observationes anteriores circa *Amylobacteria* Tréc. Florae miseram in *Ficu carica* notavi, praesertim sub cortice soluto ramulorum (maceratione 4—5 dierum subjectorum) libera *Amylobacteria fusiformia* copia maxima obvenientia et motu proprio nonnihil undulante conspicuo alacriter circumnatantia, omnino sicut *Bacteria* ibidem consociata. Illa corpuscula fusiformia (longitudinis circiter 0,007—9 millim., crassitici circiter 0,002 millim.) vix nisi simplicia occurrunt, nec, sicut ex. gr. in corpusculis Spartii vidi, 2 vel 3 apicibus seriatim conjunguntur. Dixit ea *Clostridia* cl. Trécul. Non omnia simul, sed certa solum corpuscula certoque momento circumagi incipiunt [1]). Idem apud Bacteria occurrit. In cellulis medullaribus frequentissime atque in fibris simul eorumdem ramulorum obvia sunt *Amylobacteria capitata*, cauda tenui praedita (*Urocephala* Tréc.); nullum autem motum proprium eo saltem statu ostendunt.

1) Quoque fibras totas Vibrionibus minutis agilissimis omnino repletas vidi in iisdem ramulis *Ficus Caricae*. Simili modo originem ducunt verisimiliter ut Bacteria vel Amylobacteria in materiis putrescentibus cellularum.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr05980-0581-1

Apud *Pyrethrum Sinense* corpuscula fusiformia similia ac in Ficu et similiter motu distincto gaudentia, forte etiam copiosiora vidi sub cortice, post macerationem aliquot dierum. Quoque ibi (atque in aqua ambiente) observavi Bacteria varia et talia formae solitae, composita aut simpliciora, zonas angustas offerentia iodo plus minusve violaceae tinctas; apex solus uterque summus fragmentorum (frustularum) tunc tingitur [1]).

Ex his observationibus concludere liceat, *Amylobacteria* ejusdem naturae esse ac Bacteria iisdemque affinia.

Corrigenda.

Pag. 525 lin. 5 lege commendare.
„ „ „ 7 „ quale.

Pag. 564 Zeile 21 von oben lies Sagedia statt Sagodia.
„ „ „ 2 „ unten „ letzterem statt letztere
„ „ „ 4 „ „ „ männliche statt nämliche.
„ „ „ 6 von oben „ die Sporen statt der Sporen.
„ 570 „ 1 „ „ „ schachbrettförmig statt schachförmig.
„ 571 „ 10 von unten „ liefertem statt lieferte.

Musci novi, quos in Peruviae meridionalis orientalis provincia Carabaya legit Dr. J. K. Hasskarl, autore E. Hampe.

Trichostomum (Leptodontium) papillosum Hmpe.

Laxe caespitosum luteo-viride 2—3-unciale. Caulis primarius decumbens, parce tomentosus fuscescens, vage ramosus, ramis adscendentibus elongatis gracilibus simplicibus vel parce ramosis, sterilibus apice conglobato-capitatis lutescente-viridibus, omnibus laxe foliatis. Folia subtrifaria laxe imbricata e basi decurrente amplexicaulia, late ovato-lanceolata, carinata, squarroso-reflexa, margine basi revoluto integerrimo, apice erosodenticulata, nervo solido lutescenti, summo apice evanido vel excurrente (folia) apiculata, dorso papillosa, cellulis basilaribus subellipticis, fusco-luteis, intermediis aggregatis abbreviato-line-

1) Etiam in larva alba dipterica vidi quodque segmentum supra fascia et segmentum anale fere totum iodo addito violacee tingi, quod hic obiter notandi venia detur.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr05980-0582-7

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: Flora oder Allgemeine Botanische Zeitung

Jahr/Year: 1865

Band/Volume: 48

Autor(en)/Author(s): Nylander William

Artikel/Article: De terminis lichenologicis perithecio et epithecio 577-580